

DEFENSOR FIDEI, DEBELLATOR vitiorum

Errorumq; grauis, nunc super astra cluens,

In supremo Gymnasii nostratis Auditorio & Lectione Theologica publica, telam, quam Antecessores orsi erant, texuit pariter, explicuitque Dicta Classica Ebraeo-Graeca, & simul Locos Theologicos. Ad Scripta autem quod attinet, praeter Disputationes Ienae habitas, Theologicam, de Ecclesia proprie sic dicta, eiusq; veris & viuis membris, Praeside D. Io. Musaeo, d. 5. Oct. A. 1667., & Inauguralem inprimis, de peccati Originalis & Actualis Natura, Praeside D. Io. Ernesto Gerbaro d. 15. Nov. A. 1667. defensam, Concionem innotuerunt complures, & Programmata bina, publico Gymnasii Schl. nomine scripta, cum supremus Honor humillimusq; exhibendus esset SEREN. FRID. VVILHELMO III., Duci Sax. e. r., & SER. ERNESTO III. Duci Sax. e. r., ILLI quidem 16. Cal. Sextil. A. 1672. a S. E. Goetzio, Con R., & M. Io. Sauerbrey, Collega Tertio, HVIC prid. Nonar. Iun. A. 1675. a Io. Ern. Schadio, Rect., & S. E. Goetzio, Con R. Prodiitq; Ipso Autore Programma, Seculare Gymnasii Saxo-Henneb. festiuitatem indicens, & publicatum d. 7. Octobr. anno redditae salutis 1677.

Seculum nempe integrum cum elapsum fuisset a Gymnasii ortu, Clementissimis Auspiciis DIRECTORIS Gymnasii SERENISSIMI, qui tunc erat REVEREND. MAVRITIVS, DVX SAXO-NVMBVVG., Festiuitas Schleus. acta est secularis & Iubilaea. Praemissa fuit d. 7. Oct. A. 1677. in Aede oppidana Concio, distribui eodem die curauit programma dictum Ephorus Schvviggenius, hymnisq; precibus & sermonibus, dd. 8. 9. & 10. Oct., Docentes aeq; ac Discipuli sua executi sunt munia, laeti omnes & gratulabundi. Haecq; Hilaritas publica quia in semel atq; iterum allegato programme praefinita extat, verba Schvviggenii,
quo